

**HARVARD UNIVERSITY  
MEDIEVAL STUDIES**

**Sample Latin Exams**

Examinations in Latin are offered twice a year. Below are three passages similar in length and difficulty to the passage that will appear on the exam. If you can translate one of these passages with reasonable accuracy in approximately ninety minutes, then you are ready to take the exam. You will be expected to accurately translate the passage into idiomatic English.

During the exam itself, printed dictionaries will be provided; you also may bring a dictionary with you if you choose. Electronic dictionaries are not allowed.

**Sample exam I (Bernard of Clairvaux)**

*Qualiter anima, quantumcunque vitiis corrupta, adhuc per amorem castum et sanctum potest redire ad similitudinem sponsi, id est Christi.*

1. Quantum quidem regularis hora permisit, quam nobis constituimus ad loquendum, triduum hoc in demonstranda Verbi animaeque affinitate expensum est. Quae utilitas in omni labore isto? Nempe haec. Docuimus omnem animam, licet oneratam peccatis, vitiis irretitam, captam illecebris, exsilio captivam, corpore carceratam, luto haerentem, infixam limo, affixam membris, confixam suris, distentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, sollicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam, et postremo advenam in terra inimicorum, juxta prophetae vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt [Baruch 3:11]; licet, inquam, sic damnatam, et sic desperatam, docuimus tamen hanc in sese posse advertere, non modo unde respirare in spem veniae, in spem misericordiae queat; sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire foedus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege ducere angelorum non vereatur. Quid enim non tute audeat apud eum, cujus se insignem cernit imagine, illustrem similitudine novit? quid, inquam, vereatur de majestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est ut curet naturae ingenuitatem vitae honestate servare, imo caeleste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumque venustare et decorare coloribus.

2. Utquid enim dormitet industria? Grande profecto in nobis donum naturae ipsa est: quae si minus suas exsequatur partes, nonne quod reliquum habet natura in nobis, totum turbabitur, totum quasi quadam vetustatis operietur rubigine? Id quidem injuria auctori. Et utique ad hoc auctor ipse Deus divinae insigne generositatis perpetuo voluit in anima conservari, ut semper haec in sese ex Verbo habeat, quo admoneatur semper, aut stare cum Verbo, aut redire, si mota fuerit.

## Sample exam II (*Gesta Francorum*)

Cum iam appropinquasset ille terminus quem dominus Iesus cotidie suis demonstrat fidelibus, specialiter in evangelio dicens: "Si quis vult post me uenire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me," facta est igitur motio valida per universas Galliarum regiones, ut si aliquis Deum studiose puroque corde et mente sequi desiderat, atque post ipsum crucem fideliter baiulare vellet, non pigritaretur Sancti Sepulchri viam celerius arripere. Apostolicus namque Romanae sedis ultra montanas partes quantocius profectus est cum suis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et presbiteris, coepitque subtiliter sermocinari et predicare, dicens, ut si quis animam suam saluam facere uellet, non dubitaret humiliter viam incipere Domini, ac si denariorum ei deesset copia, divina ei satis daret misericordia. Ait namque domnus apostolicus: "Fratres, vos oportet multa pati pro nomine Christi, videlicet miserias, paupertates, nuditates, persecutiones, egestates, infirmitates, fames, sites et alia huiusmodi, sicuti Dominus ait suis discipulis: 'Oportet vos pati multa pro nomine meo,' et: 'Nolite erubescere loqui ante facies hominum; ego vero dabo vobis os et eloquium,' ac deinceps: 'Persequetur vos larga retributio.'" Cumque iam hic sermo paulatim per universas regiones ac Galliarum patrias coepisset crebrescere, Franci audientes talia protinus in dextra crucem suere scapula, dicentes sese Christi unanimiter sequi vestigia, quibus de manu erant redempti tartarea. Iamiamque Galliae suis remotae sunt domibus.

### Sample exam III (Caesarius of Heisterbach)

"Colligite fragmenta ne pereant."

Cum ex debito iniunctae sollicitudinis aliqua ex his quae in ordine nostro nostris temporibus miraculose gesta sunt et quotidie fiunt, recitarem noviciis, rogatus sum a quibusdam cum instantia multa, eadem scripto perpetuare. Dicebant enim irrecuperabile fore damnum, si ea perirent per oblivionem, quae posteris esse poterant ad aedificationem. Cum ad hoc minus essem paratus, tum propter Latini sermonis inopiam, tum propter invidorum detractionem, accessit abbatis mei imperium, nec non et abbatis loci sanctae Mariae consilium, quibus contradicere licitum non est. Memor etiam praedictae sententiae Salvatoris, aliis "panes integros" turbis frangentibus, id est, fortes scripturarum quaestiones exponentibus, sive excellentiora moderni temporis acta scribentibus, ego "micas decedentes" colligens, propter inopes, non gratia, sed literatura, duodecim ex eis sportellas implevi.

Totidem enim distinctionibus omne opus divisi. Prima distinctio agit de conversione, secunda de contritione, tertia de confessione, quarta de tentatione, quinta de daemonibus, sexta de virtute simplicitatis, septima de beata virgine Maria, octava de diversis visionibus, nona de sacramento corporis et sanguinis Christi, decima de miraculis, undecima de morientibus, duodecima de poena et gloria mortuorum. Ut autem competentius exempla ordinarem, more dialogi duas introduxi personas, novicii videlicet interrogantis et monachi respondentis: quia dum dictantis nomen pagina supprimit, detrahentis lingua citius deficit et arescit. Attamen qui nomen eius scire desiderat, prima distinctionum elementa compingat.

Plurima etiam inserui quae extra ordinem contigerunt, eo quod essent aedificatoria, et a viris religiosiis, sicut et reliqua, mihi recitata. Testis est mihi Dominus, nec unum quidem capitulum in hoc Dialogo me finxisse. Quod si aliqua forte aliter sunt gesta, quam a me scripta, magis his videtur imputandum esse, a quibus mihi sunt relata. Et quia continentia huius Dialogi satis miraculosa est, nomen ei indatur "Dialogus Miraculorum."